

INVITATIO
AD
AUDIENDAM BENIVOLE ORATIONEM
VALE QVA SVPREMVM DICTVRVS EST
INGENIO, DOCTRINA AC MORIBVS CVLTISSIMVS IUVENIS
HENRICVS CHRISTIANVS BLVM
WERNIGERODANVS
IN WERNIGERODANO ARTIVM COLLEGIO
DECENTER INSTITVTA.

Wernigerodae, excipit litteris Ioh, Georg Struck, typogr. aulic.

Sorores sunt Musae

Fingebantur ita a Graecis

Fingebantur ita a Romanis

Manu se mutuo tenentes choros agere videntur

Neque haec inepte

Musae enim sunt scientiae, disciplinae, linguae et artes liberales

Arctissimo nexu, quae inter se conspirant et cohaerent

Liberales dicuntur, quia ingenuis dignae sunt ac hominibus liberis

Augustinus, et cum eo veteres plerique, earum numeravit septem

In duas easque distinxit classes

Tres sunt logisticae .

Grammatica dialectica s. logica et rhetorica

Quatuor sunt mathematicae

Arithmetica, geometria, musica et astronomia

Non haec tantum

sed omnes artes, quae ad humanitatem pertinent

habent nexum quemdam communem

Hinc

Graeci s'appellarunt illas encyclicas

Latini circulares

Teste Cicerone

cognitione quadam inter se continentur

Caelo debent originem omnes

Omnes caelestis providentiae nutu propagantur

conducunt omnes ad commodum commune

Cognati cognatos amant

opem iis ferunt

Humaniores artes inuicem sibi opitulantur

Notitiam linguarum ex grammatica qui non hausit

Neque cultissimam Helladem neque eruditum Latium cogitando permeare quibit

Graecae linguae cognitio facit multum ad notitiam latinae linguae

Tertia fere vocabulorum latinorum pars ex Attica natales repetit

Peritia linguarum necessaria est in studio historico

Historia inseruit explicationi epistolarum Ciceronis ad familiares vel diuersos

Haec faciunt multum ad notitiam historiae romanae

Ex historia noscimus quis hic vel ille autor latinus fuerit

quo vixerit tempore

an purae sit latinitatis scriptor

an probatae fidei sit idem

legendus idcirco et relegendus



Kapsel 78N42(2)

AK

Prudentiorum iudicio

geographia et chronologia sunt oculi historiae
 Historia vicissim subsidio est geographiae
 Ars heraldica lucem affundit antiquae historiae
 Historia illustrat artem heraldicam
 Genealogia subuenit historiae, quae ipsi vicissim adiumento est
 Numismatica ars conducibilis est historiae
 In hac etiam utilis est ars diplomatica
 Ambae itidem lucem accipiunt ex illa vetustatis nuntia
 Antiquitatum quoque doctrina maximam partem inde petitur
 Historiarum monumenta
 doctrinae moralis sunt documenta
 Capimus inde
 laudabile quod imitemur
 foedum inceptu, foedum exitu quod vitemus

Abque rerum gestarum, moralis doctrinae, antiquitatum ac mythologiae cognitione
 frigida erit poesis, vel potius rhythmopoesia
 Poetica ars et musica sunt sorores gemellae
 Poesis canendi materiam suppeditat et numeros musicae
 Copia verborum requiritur inter alia ad exercitium poeticum
 Eloquentiae romanae princeps tamen fatetur
 Poesin sibi adiumento fuisse in eloquentia comparanda.
 Institutione logica deficiente orator est verborum insitor

Ars arithmetica depromit methodum ac principia sua ex geometria
 geometria sine arithmetica commode exerceri non potest
 Mathematicae praecipue mechanica subseruit physicae
 physica subsidio est mathematicae
 Astronomia magno vsui est in gnomonica et chronologia
 conficiendoque calendario
 Hoc ipso communi quoque inferuit commodo
 Omnes haec artes encyclopaediae nomine veniunt
 Humaniores vocitantur
 humaniores quia reddunt homines

Didicisse fideliter artes, inquit Naso. emollit mores nec finit esse feros
 Elegantiores litterae dicuntur
 multum quia faciunt ad elegantiam vitae

Non tantum liberales elegantioresque litterae coniunctae sunt inter se copulataeque
 Altiora quoque studia nexum cum iis habent arctiorem
 Theologia non carere potest philologia
 Iuris cultor neglectis omnino elegantioribus studiis non fiet iurisconsultus
 Nisi hic hypotheses philosophicas veterum iureconsultorum habet perspectas
 rationes legum accurate indicare non poterit
 siue hermeneutica erit leguleius
 siue logica rabula
 Si vero quis
 scientiae legum iungit cognitionem litterarum humaniorum
 eius scientia

VD
R

ex mente celeberrimi vitembergensium iuriconsulti D. Chladenii
elegantior iurisprudencia appellari meretur
Pluribus hoc euincere conabitur
discessum qui ex phrontisterio nostro parat suum
iuuenis et indolis praestantia et spei magnitudine maxime commendabilis

Henricus Christianus Blum, Wernigerodanus

Eam vitae studiorumque rationem hucusque tenuit
vt in egregium probi iuuenis exemplum ostentari queat

Non tantum enim liberales artes inter se cognatas
sed etiam virtutum catenam acquirere studuit

Tantam quoque doctrinarum copiam adquisiuit
documento vt esse possit

quantum fidelis magistrorum opera
cum auditorum ingeniosa industria
etiam in nostro paedagogio efficere possit

Frequens deuotio eius in cultu Dei publico

Reuerentia eius erga superiores

obsequium erga praeceptores

modestia erga pares

conscientia omnium continetur

qui in hoc phrontisterio docent et docentur.

Factum est hinc

vt auxilio summi Numinis

non vulgares in sapientiae et artium studiis fecerit progressus

Pergit nunc

ad sublimiores acroases in academia percipiendas

Sub suum vero a nobis abitum

piam gratamque mentem Deo conseruatori suo et bonorum largitori omnium

aliisque, quibus se debere intelligit

declaraturus

non incomtam suam orationem

de iurisprudencia elegantiori

sue

de humaniorum artium nexu cum iurisprudencia

recitabit

cras hora XI. antem.

examine publico primae classis finito

Beniuole vt eum audire velit


omnes, quicunque rei nostrae scholasticae fauent, praesint, profunt vel intersunt

officiose amanterque oro

Henricus Carolus Schütze

Paed. director.

Wernigerodae, d, vi, Aprilis clb lccc lxxvi.



INVITATIO

AD

ENDAM BENIVOLE ORATIONEM
VA SUPREMVM DICTVRVS EST
, DOCTRINA AC MORIBVS CVLTISSIMVS IUVENIS
CVS CHRISTIANVS BLVM

WERNIGERODANVS

WERNIGERODANO ARTIVM COLLEGIO

DECENTER INSTITVTA.

gerodae, exscriptis litteris Ioh, Georg Struck, typogr. aulic.

